

1
24

30.

31.

32

33

34.

35



1765

29. Salzmann, Carolus Augustus: De servis pauci
principiis debito fundati.
30. Schlockher der, Carolus Augustus: De servis praec.
principiis etiam definitione
31. Schott, Augustus Fridericus: Ad orationem Perlinacis
de testamento posteriori imperfecto prius perfectam
hanc confirmante in 57 Just. quib. mod. testam.
infim.
32. Schott, Augustus Fridericus: Prudentiae Propositi
de materia XII tabularum in cap. 254 II de
orig. iur.
33. Schott, Augustus Fridericus: De legi Villie emati
magistratum Romanorum
34. Teger, Ioh. Thophil: De antiqua et nova
Codicis Justinianae disciplina.
35. Teger, Iohannes, b.d. iur. praecancellarius:
Programma, quo solemnis Doctoralia Christiani
Michaelis Haroldi . . . celebranda intendit.



1765

36. Tellius, Romaeus : *De uota creditoris*
37. Thomasius, Franz, pugio. pro cancellarius
Programma, quo actionem saltem regestis ⁷⁷ ⁷⁸ ⁷⁹
schattii indicat.
38. Valdighius, Bartholomeus : *Vicinitates*
sociorum Londinensis 9. 1718.
39. Wilsanus, Georg Steph. : *De causa capitatis*
90 Wilke, David Gablerus, Regius : *Actionum ob
operarum praemium mercatura. Programma, quo
ad orationem auspicalium invitat.*
41. Wilke, David Gablerus. Regius : *Ac hyper lande
nisi exactione*
42. Winkel, Carolus Gorpeus : *De condicione
immodici facioris. Programma, quo saltem
in ang. Christiani Schmidelli invitat*
43. Zoller, Historicus Gottlieb : *In substantione lice.
rorum in materia fiscalium commissorum comprehenditur.*

tum repates. Programma, quo solennia doctoralia
Carol. Augusti Schloßberwerder indicit.

74. Zollerus, Fridericus Gallerius : De fine conferendi:

75. Zollerus, Fr. Gallerius : Questiones singulares
circa Iudicium obvenientis.

76. Zollerus, Fridericus Gallerius : An oberroribus
rescindi possit transactio?



Johann

L. Salzmann

1765, 29. 525.

RESIDVVM FEVDI PRETIVM
DEBITVM FEVDALE

ILLVSTRIS ORDINIS I CTO RVM AVCTORITATE

PRO SVMMIS IN VTRQVE IVRE
HONORIBVS CONSEQVENDIS

A. D. XXIII. OCT. cl Is CCLXV

PUBLICO CVM ERVDITIS COLLOQVIO
DEFENDET

CAROLVS AVGVSTVS SALZMANN

LIPSIAE

LITTERIS LOEPERIIS

H. Asturius Lina



ИЧИТИЧ ГОУЧИ ИУДИСЕЯ
ПЛАСУЧИУТИИ

СТАТИОЧА МУФОДО-И БИЮ-О-ЗМЕИИ

БАВЕ РУФОРУ КИ БАВИЧ О-РЯ

СИЛЯСИИ МУДО-И СИЛЯ

ВИДИЧА СТО-И МИДА-И СИЛЯ

СОЛЮДОГ АРИЧИИ СИЛЯ

СИЛЯ

ИМАСИИА СУТНЕКА АМОДО

СИЛЯ

VIRO ILLVSTRI
CAROLO HENRICO ERNESTO
A GRIESHEIM
DOMINO IN NETZSCHKA ORDINIS EQVESTRIS
EPISCOPATVS MARTISBURGENSIS
DIRECTORI

S. Q. D.

CAROLVS AVGVSTVS SALZMANN

Tot tantaque extant, *Vir Illustris, Tuae erga
me bencuolementiae humanitatisque documenta,
quae nuper longe illustriora mibique honorificentiora
reddidisti, cum me *Tua* inprimis praerogativa Syndicu-
m istius ordinis esse volueris, cui *Tu* summa
cum dignitate et publica utilitate praes, ut gratus
animus iam dudum flagitet meae pietatis *Tibi ali-**

A 2

quod

quod monumentum ponere, eoque minus a me impetrare potui, quin hunc libellum illustri Tuo nomini inscriberem ex eoque praesidium et ornamentum repeterem. Non, quod ego eum Te dignum iudicem, aut quod putem Te istud gratiarum agendarum genus vehementer desiderare. Noui enim generosam Tuum pectus, noui integritatem constantiamque Tuam, et saepe per superius bellum in patriae salutem felicissime collocatum studium admiratus sum. Noui vero etiam hoc, Te malle laudes mereri, quam audire, et sola recte factorum conscientia delectari. Sed, quoniam scis liberali et grato homini in commemoratione beneficiorum, praeferimus ea referre non possum, quasi suave leuamentum esse propositum, non puto Te banc suavitatem negare velle mihi, quem totum Tui amore implevisi. Confido igitur Te banc commentationem eodem vultu et eadem humanitate, qua me Te aduentem semper excipere soles, esse excepturum, et de me ita esse iudicaturum, ut non dubites, me et res meas Tibi in posterum vehementer cuperem probari, immo in Tua salute magnam meae felicitatis partem reponere. Scripsi Lipsiae a. d. XXIII. Oct. CCLXV

I.

Si quod iuris feudalis caput difficultate, ab interpretatione prudentum et diuersis Doctorum opinionibus allata, et tum vniuersae iurisprudentiae, tum praeferitum feudalium, quae non legibus scriptis, sed solis consuetudinibus ntititur, perniciosa atque noxia, labarat, sane est, quod de debitis feudalibus agit, et maxima rerum grauitate, et utilitatis vbertate commendatur. Inter omnes constat leges feudales vasallo nullam fere de feudo disponendi facultatem concedere, quae enim antiquis temporibus super alienatione feudi obtinebant, (I. F. 5. I. F. 13. II. Feud. 44.) postea sunt immutata; et omnis alienatio, per quam feudum in alterum transferebatur, a Lothario 2. F. 52. et Friderico 2. F. 55. sub poena nullitatis et amissionis feudi vetita fuit, ita ut ne pro anima quidem iudicare licuerit sine permisso eius domini, ad quem feudum spectare dignoscitur. Eadem ratio, propter quam feudi alienatio non admittitur, ejus quoque oppignorationem absque consensu domini directi irritam fecit. Feudo enim pignori obligato et debito iusto tempore non exsoluto, alienationis necessitas contrahitur. Vnde iuris feudalis doctores hanc regulam proposuerunt, nullius nominis vel debiti causa feudum creditor i esse obnoxium, nisi idem sibi pignori obligatum sit, domino directo consentiente. Consensus enim domini directi, fauori et iuri pro se introducto

troducto renunciantis, constituit hypothecam et ius reale in feudo, etiam non accidente agnatorum atque simultaneae inuestitorum consensu. Etsi enim agnatis per contractum feudalem inter primum acquirentem et dominum directum initum, ius in feudo acquiritur, quod ipsis nullo pacto auferri potest, simultanei inuestiti autem, quod ipsis sibi feudum acquirunt, et de eo simul cum vasallo inuestiuntur, ius in feudo consequuntur pinguis, efficitur quidem hoc, feudum in praetorium neque agnatorum neque simultaneae inuestitorum iure pignoris obligari posse: sed plane non alterum, feudum propter neglectum agnatorum et simultaneae inuestitorum consensum oppignerari numquam posse et eiusmodi obligationem feudi in pignus esse omnino vanam et irritam. Neque dubitandum est, ius Saxonum in hac causa cum iure communi optime conuenire, legitimamque hypothecam etiam secundum illud in feudo constitui posse absque agnatorum et simultaneae inuestitorum consensu. Quamquam vero hoc modo legitima in feudo constituitur hypotheca, creditorique exinde ius reale in feudo competit, tamen hoc ius in praetorium agnatorum et simultaneae inuestitorum non detorqueri potest, quorum illi, cum ex pacto primi acquirentis, hi ex facto proprio ius quaesitum habeant in feudo succedendi, plane non tenentur ista hypotheca consensu domini directi constituta, sed feudo ad illos deuoluto, sine onere hypothecae illud consequuntur, nec ab iis debitum, propter quod hypotheca creditori in feudo constituta est, peti poterit, sed etiamsi actio hypothecaria contra feudi possessorem iam mota et creditor, iam possessionem feudi naectus sit, tamen agnatis et simultaneae inuestitis feudo ad ipsos delato

lato semp̄ saluum manet ius reuocandi, non coactis
feudum reluere de quo vasallus in eorum praeiudicium
disponere illudque oppignorare non potuit. II. Feud. 26.
II. Feud. 39. I. Feud. 8. 5. II. Constit. 48. 49.

Sed quemadmodum in iuris ciuilis scientia et le-
gibus ciuilibus rigor saepe aequitate temperandus est,
quod et Romani Praetores efficere tentarunt, eo ma-
gis idem accidit et accidere debuit scientiae iuris feu-
dalnis diuersisque eius capitibus. Nam profecto mores
viuendique ratio inferiorum temporum ab institutis su-
periorum, quibus leges feudales, natae sunt, vehemen-
ter abhorrent, vti e multis Capitibus iuris feudalnis,
praeferim eo, quod de debitis feudalibus agit, apparet;
quanquam enim non licuisse vasallo feudum sine consen-
su domini oppignorare, neque esse in feudo legitimam
hypothecam nisi autoritate domini constitutam, eamdem
que iuribus agnatorum et simultanei inuestitorum, qui-
bus eiusmodi debiti soluendi, etiam si feudum nacli
fuerint, necessitas nulla est imposita, nihil detrahere,
iam supra commemorauimus: tamen dudum iam docue-
runt doctores primum in regno Siciliae et Neapolitano,
aequitatis studio inductum esse, vt quaedam debita, con-
senſu domini directi, agnatorum, et simultanei inuestitorum
non confirmata, ex feudo essent soluenda, et cum
illo ad quemcunque possessorem transirent, hocque ius
ex aequitate natum, ad recentiora tempora suisse pro-
pagatum, hincque etiam agnatos et simultanei inuestitos
obligari, ad ista debita, feudo ad eos perueniente, sol-
venda. Duplex eorum constituant genus. Alterum
eorum, quae simpliciter et propterea ex feudo debeantur,
quod ipsius rei feudalnis cuiusva sunt contracta, et
feudum

VIII

feudum ipsum affiant, alterum eorum, quae, ob fauorem causae deficientibus bonis allodialibus, in subsidium ex feudo sint soluenda. Praeter debita, in utilitatem feudi a vasallo contracta, cuius generis sunt, dos ab vxore illata, collectae in casu extremae necessitatis impositae etc. doctores etiam nonnulli inter debita primi generis residuum pretii collocant, quo feudum emtum est. Alii contra dissentunt, quod vel ob ea, quae supra diximus, vel imprimis propterea non est mirandum, quod iureconsulti etiam raro consentient de rebus longe grauioribus, cum quibus vita, fama, bona hominum sunt coniuncta. Noluerunt autem multi pretium, quo emtum est feudum iis rebus adnumerare, quae feudum proprie affiant, et a quocunque successore singulari sint soluenda. Ante hos duos annos, Iureconsultum Dresensem Celeberrimum in hanc sententiam respondere vidimus. Consulebatur in causa admodum memorabili et graui super summa pecunia feudalis ab emtore tamquam residuum feudi pretium soluendum suscepta. Agnati ii, ad quos proxima successio in ista pecunia feudali vel residuo feudi pretio pertinebat, varia fortuna eam agitauerant, et cum primum ex sententiis ordinum Iuridicorum Lipsiensium et Vitebergenium egregie vicerint, re ad illustre Saxonie collegium, in quo super prouocacionibus certatur, delata duabus sententiis vincebantur et causa cadebant. Consultus itaque ab agnatis remotoribus, id est iis, qui in locum eorum, qui, vt diximus, vieti fuerant, iisdem force decendentibus, erant successuri, et istius speci causa iterum denuo ingredi cupiebant, negavit sibi videri istud residuum feudi pretium tale debitum esse, quod a successore singulari in feudo,

ab



ab agnatis et simultaneis inuestitis feudo ad illos delato, sit soluendum, feque vehementer istius litis euentum, quem proximiores agnati subierint, metuere. In eo omnes conueniunt, residuum feudi pretium ab agnatis, simultaneis inuestitis et quoquinque successore singulari in feudo esse tum soluendum, cum feudum sub autoritate domini directi agnatorum et simultaneis inuestitorum venditum et super residuo pretio hypotheca in feudo sit constituta, domini directi agnatorum et simultaneis inuestitorum consensu firmata. In qua causa largiuntur adesse debitum feudale, eiusmodi, quod feudum iure reali afficiat, et ad quemcunque successorem singularem in feudo pertineat, sed aliter sentiunt, si super illo residuo feudi pretio legitima hypotheca in vendoris securitatem constituta non est neque concedunt agnatos et simultaneis inuestitos aliosque successores singulares necessitate illud, tanquam debitum feudo inhaerens, soluendi, premi. Non negandum est, eam opinionem, qua residuum feudi pretium inter debita mere feudalia collocatur, diuersis difficultatibus esse inuolutam, et posse ob venire causas, vbi aduersa sententia grauioribus nitatur argumentis, neque illud in vniuersum inter debita feudalia, quae ex feudo sunt soluenda, numerari posse, quamquam hoc in omnibus iuris feudalis compendiis fieri solet, illudque docentur studiosi iuris feudalnis existimantes sibi satis esse, hoc a doctore audire idque, quod ab eo acceperunt, generaliter valere debere. Qua opinione imbuti cum vel ad causas agendas vel ad respondendum et cauendum accedunt, tot tantisque controversiis materiam praebent, quae re rectius intellecta facile vitari potuissent. Etsi itaque in vniuersum ista regula, residuum feudi pretium debitum esse

B

feudale,

feudale, et ex feudo solui debere, constitui nequeat tamen id quoque dicendum est, illud fere semper inter ea debita, quae feudum ipsum afficiant, et a quocunque successore singulari sint soluenda, iure ponit. Vehementer se nobis commendauit argumenti ratio, dignitas et utilitas, quare eo minus dubitauimus, exercitacionem academicam pro obtinendo doctoris gradu inde sumere, quo frequentiores, grauioresque sunt lites, quae super hoc argumento oriuntur, variis doctorum opinionibus obnoxiae.

II.

Iam itaque cum proficiscamur ad ipsam quaestione, videtur id nobis esse faciendum, ut certos quosdam terminos ponamus, secundum quos totus disputationis ordo erit dirigendus. Primum igitur videbimus quando et in quibus causis, quaestio de residuo oriiri possit. Deinde de iure et actionibus quibus residuum feudi pretium peti potest, et denique quaestiones nonnullas, cum isto arguento coniunctas, trademus, Notum est secundum ius commune in feudis tantum agnatos succedere, qui per contractum feudalem inter primum acquirentem et dominum directum ius naclii sunt, per quod in feudo succedunt, ita firmum, ut idem iis nullo pacto adimi queat. Sed tamen per ea, quae supra posuimus, licet interdum vasallo de feudo disponere, etiam sine consensu agnatorum, dummodo domini directi auctoritas acceperit, agnatisque tantum competentia duo remedia ad feudum sine eorum consensu alienatum reuocandum, alterum ex iure protimiseos vel retractus, alterum ex iure delatae successionis, ea quidem ratione, ut, ius protimiseos vel retractus non exer-

exercentibus, alienatio absque consensu corum facta tam diu valida sit, quam diu vasallus, qui feudum vendidit, vel eius descendentes masculi viuunt, qui facta parentis et eius a quo ius acceperunt, rata habere tenentur. Sed extincta familia vendoris feudum ad eos deuoluitur, in quorum praecipuum et detrimentum alienatio fieri non potuit, et quibus ius feudum a quoque possestore vindicandi, ita competit, ut feudum sine restituzione pretii cum omni causa iis sit reddendum. Deinde etiam feudum alienari potest, non tantum consensu domini directi sed et agnatorum, iis vero, in istam alienationem pure consentientibus, falsa res est, nam iuri in feudo competenti renunciasse videntur. Feudum itaque illud venditur cum consensu domini directi et agnatorum extraneo. Is totum feudi pretium non soluit, sed pars residua manet. Iam moritur nouus emtor feudumque deuoluitur ad eos agnatos, qui per contractum inter dominum directum et vasallum super feudo initum ius quae situm in feudo succedendi naclii sunt, num ab his vendori feudi pretium nondum solutum et residuum eius petere poterit? Habet quæstionem de residuo feudi pretio soluendo in feudo novo. Sed poterit etiam locum habere in feudo antiquo. Fac enim consentire agnatos, ut feudum aliis ex agnatis vendatur hac lege, ut mortuo emtore et eius descendenteribus masculis, feudum iure successiones ad eos agnatorum deferatur, qui ultimi defuncti possestores proximi sunt, et ad quos successio iure sanguinis et secundum leges feudales pertinet; vti factum esse ex his quae dicentur, intelligitur. Eustachius cum patruelibus Henrico, Dierico, Friderico, possidet feudum pro in diuiso. Iam aspernantes communionem patruelles tres suas partes

B 2

Eustachio

XII

Eustachio vendunt, agnati in istam emtionem venditionem hac conditione consentiunt, ut post obitum Eustachii eiusque descendantium masculorum, feudum ad se deuoluatur, qui post obitum vltimi vasalli possessoris per successionem legitimam feudum consequuntur. Eustachius non integrum pecuniae sumnam patruelibus solvit, sed partem eius sub lege visuram adhuc debet. Interea non ipse tantum decedit, sed etiam filii eius, nulla relicta mascula prole, et vi paeti supra commemorati feudum iure successionis desertur ad vltimorum possessorum patrualem. En nouam questionem, vtrum hic teneatur ad residuum feudi pretium solendum, quod Eustachius defuncti patruelibus, a quibus feudis quartas comparauerat, adhuc debebat, quodque nondum erat solutum.

III.

Constat in Saxonia aliisque prouinciis germanicis non eandem esse succedendi rationem, quippe neque secundum Ius Germanicum neque secundum Ius Saxonum agnatis vllum ius in feudo competit, sed post descendantium legitimorum successionem succedendi legem, praesertim in Saxonia, vbi istud ius praecipue regnat (I. F. Sax. c XXXII.) dare simultaneam inuestituram, vi cuius, vti agnati iure Longobardico iure sanguinis, ita simultanea inuestiti proprio facto succedunt. Cum simultanea inuestiti per primam inuestituram ius reale in feudo et condoninium vtile nanciscantur, facile patet, neque in eorum detrimentum et absque eorum consensu vasallum de feudo disponere posse, ipsiusque datam esse facultatem feudum post successionem delatum

tam' reuocandi, eoque iure vti posse, etiam si ipsius vasalli heredes facti fuerint. At quoniam simultanea inuestiturae ea est natura, vt per pacta vehementer possit immutari, interdum accidit, vt vel tum, cum simultanea inuestiti in simultaneam inuestituram recipiuntur, vel etiam ex pacto postea interueniente, vasallo eiusque descendantibus tantum certa pecuniae summa constituantur, quae feudo alienato et vendito vel illis vel posteris suis soluatur. Summa haec vulgo ein Lehnstamm appellatur non confundenda cum feudo pecuniae, quod etiam ein Lehnstamm secundum Hornium in Iurispr. Feud. cap. IV. §. 18. vocatur, accuratius vero per Lehns-. Quantum exprimi potest. Eius duplarem speciem facere solent. Primam quando praedii condominium utile simul inuestito ceditur, sed ipsum feudum ulterius non afficit, quam quoad summam conuentam. Vnde vasallus, quatenus summam istam excedit, consensu domini directi feudum libere alienat de illoque disponit, simultanea inuestito salvo tantummodo iure succendi in istam constitutam pecuniae summam, reliqua parte feudi vasalli heredibus allodiaibus relieta. Alteram vbi simultanea inuestitus communem in feudo manum acquirit, non quidem quoad certam pecuniae summam, sed tamen cauet litteris reuersalibus de permittenda libera vasallo dispositione super feudo, dummodo expressa pecuniae summa sibi salua conseruetur. cf. Illustr. Baueri Dissert. De Forma ac definitione communis Saxonum manus. Hic praecepue locum sibi vindicare potest quaestio de residuo feudi pretio soluendo, quia fere semper summa pecuniae feudalis in feudo vendito residua manet. Fac enim feudum in quo per pactum et per litteras reversales eiusmodi pecuniae summa constituta est,

a vasallo vendi, eamque venditionem simultanea investitores ex pacto ante initio ratam habere, emtorem feudi partem pretii vsque ad summam conventam venditori soluisse, hanc autem sub lege usurarum residuam manisse, emtoremque, qui eiusdem solutionem pactio suo emtionis recepit, iis quibus solui debeat, simultaneam inuestituram in feudo pro modo summae conueniae, quae simul residuum feudi pretium est, dedisse. Iam emtore sive eius descendentiibus masculis morte a feudo sublatis coque deuoluto ad illos simultanea inuestitos, qui yltimo defuncto possessori sunt proximiiores, et in feudo, successione secundum leges juris civilis ob clausulam nach rechter Sippzahl litteris inuestituram inserta, ordinata, illos in successione excludent; num ab his simultanea inuestitis, pecuniae summa peti poterit? vel finge speciem huic simillimam feudum ad defuncti vasalli possessoris septem ex duobus fratribus liberos, pari iure et aequis portioribus, per simultaneam inuestituram deuolui. Quinque fratres vnius filii suas partes patruei, residuo manente omni feudi pretio, hac lege vendunt, vt istud non aliter ipsis solvatur, quam si ad feendum nouum comparandum impendatur, illique in feudo, pro residuo pretio emto, in simultaneam inuestituram recipiantur, aut si hoc fieri non possit, residuum in feudo vendito, sub lege usurarum maneat, ceterum venditores in feudo vendito communem manum, quoad istam pecuniae summam, donec ea soluta fuerit, retinent. Iam emtor feudi decedit relictis duobus filiis ad quos feendum peruenit, post aliquot annos etiam hi sine prole legitima moriuntur et feendum simultanea inuestitura devolu-

voluitur ad nuperime defunctorum patruelis, quippe
hi litteris inuestiturae clausula nach rechter Sippzahl in-
serta, tanquam proximiores succedunt. Num hi istud
residuum feudi premium soluere tenentur?

IV.

Alia et a superioribus longe diuersa ratio est, cum
simultaneae inuestiti, quibus certa pecuniae summa est
constituta, relicta ab iis vasallo per litteras reuersales
libera de feudo disponendi facultate, non quidem quo-
ad istam pecuniae summam et donec ea ex feudo soluta
fuerit, communem manum reuersarunt, sed tamen id
cum vasallo consensu domini directi pacti sunt, ut in illa
pecuniae summa ab iis et eorum descendenteribus secundum
leges succeſſionis feudalis succedatur, vel ex ista
pecunia nouum feudum comparetur, in eoque in simulta-
neam inuestituram recipientur. Iam, si vasallus, cum
quo illud paetum inierunt, feudum vendit, simultaneae in-
vestiti iuribus, quae illis per communem manum com-
petebant, renunciant, secundum vsum loquendi cu-
riis feudalibus solennem, simultaneam inuestituram do-
mino directo resignant, sed super ista pecuniae summa,
quam emtor soluendam in se suscipit, nulla expressa hy-
potheſa cum consensu domini directi in feudo vendito
iis est constituta, qua ratione simultaneae inuestiti et ii, ad
quos succeſſio in feudum post obitum emtoris vel eius
descendentium defertur, ad istam pecuniae feudalis sum-
mam soluendam compelli poterunt? vel si secundum
speciem in superiori ſectione propositam, simultaneae in-
vestiti,

vestiti, qui partes suas quinque in feudo patrueli vendiderunt, communem manum, quoad residuum feudi premium non reseruarunt, neque sibi super isto expressam hypothecam constitui curarunt, et feudum post obitum patrui filiorum, ad huius fratriss filium deuolutur, num ab hoc residuum feudi premium petere poterunt!

V.

Age itaque videamus quid his quaestionibus respondendum sit? Hoc conclamatum est propter residuum pretii in bonis allodialibus, nulla eius caussa expressa hypotheca autoritate iudiciali constituta, ius reale venditori aut tacitam hypothecam plane non competere, sed eum tantum actione personali agere posse aduersus emtorem ad residuum premium soluendum, et quamquam secundum ius Saxonicum in ordin. Proc. Tit. XLII. §. 3. certa ratione venditoribus super residuo pretii ius aliquod prioritatis concessum fuisse videri possit, etiam si per expressam hypothecam utilitatibus suis non satis prospexerint, tamen haec dispositio per ordin. Proc. recogn. Tit. XLII. §. 7. plane mutata est, cum ibi cautum sit, tum denum creditoribus propter residuum pretii ius prioritatis competere, cum sibi super ista aut dominium aut expressam hypothecam reseruerint, et quidem in feudis consensu domini directi interueniente. Qua ratione itaque peti poterit residuum feudi premium ex feudo ipso, cum, nisi expressa hypotheca cum consensu domini directi super eo constituta fuerit, venditori nullum ius reali in feudo competit, debitumque feudum ipsum afficere non videatur. Deinde hoc est iure feudali receptum, ut agnati, quod iure pro-

proprio succedunt feudum ab omnibus oneribus, quae forte factio vnius ex descendantibus primi acquirentis debentur, liberum accipere debeant nullaque pacto tenentur ad debita soluenda, absque eorum consensu contracta. Etiamsi itaque feudi venditio consensu eorum facta fuit, qua actione compelli poterunt, ad residuum feudi pretium soluendum, quod is, cui alienandi potestatem dederant hac lege, ut mortuo emtore, eiusque descendantibus ordo succedendi agnatis secundum leges successionis feudalis conseruaretur, vel ille solvere debebat, qui primus feudum acquisuerat. Eadem ratio est secundum ius Saxonicum simultaneo inuestitorum, quibus pinguius ius competit in feudo, quam agnatis secundum iura Longobardica, qui ne quidem ex pacto primi acquirentis, sed facto proprio et per soleniem inuestituram condominium vtile in feudo nanciscuntur, quod prohibet, quo minus feudum in eorum detrimentum villo' onere grauari queat. Quomodo itaque ius necessitas iniungi poterit, ad nomen extinguendum, quod is contraxit, a quo caussam non habent, et cuius beneficio feudum non consequuntur? Porro fundatum agendi contra agnatum et simultaneo inuestitum esse dicunt creditor, cum quo non contraxerunt. Cum enim omnes actiones vel ex iure in re, vel ex iure in personam sive ad rem nascantur, hic vero ius reale deficiat, cum nulla expressa hypotheca venditori vel simultaneo investitis super residuo feudi pretio aut super summa pecuniae feudalis litteris reuersalibus constituta competit, deinde neque actio in personam locum habere possit, cum haec non derur aduersus quemcunque possessorem, sed tantum aduersus eum, cum quo negotium nobis intercessit, omnesque orientur ex obligatione,

C

tione, agnati vero et simultanee inuestiti nullum negotium gesserint cum eo, qui feudum vel vni ex maioribus suis vel primo acquirenti vendidit, quomodo valide aduersus eos agi poterit? Denique cum natura debitorum feudalium praesertim in eo cerni dicatur, ut feudum ipsum afficiant, et transeant cum feudo ad agnatos et simultanee inuestitos, et quocunque possesse fore, ipsumque dominum directum, cui feudum aperitur, negant residuum feudi pretium tale debitum esse, quod feudo inhaereat, cum aliud sit feendum, aliud pecunia, quo feendum emum est.

VI.

Vrgetur sane ista quaestio non leuiibus difficultatisbus. Nihilominus tamen eorum sententiam, qui residuum feudi pretium inter ea debita, quae feudo inhaerent, et ex feudo ab agnatis, simultanee investitis et quocunque possessore singulari fere semper sunt soluenda numerent, defendi posse nobis videtur.¹⁰ Sed cum species supra a nobis propositae vehementer inter se discrepent, diuersa quoque erunt argumenta, quibus sententia ista nititur. Videamus primum de simultanee inuestitis secundum ius Saxonicum. Si simultanee inuestiti, quibus per litteras reuersales et per pacta cum vasallo inita certa pecuniae feudalnis summa, ein Lehn¹¹. Quantum constituta est, sibi communem manum in feudo, quoad istam pecuniae summam, referuarunt, et secundum hanc legem inuestituram in feudo, a domino directo acceperunt, vel si simultanee inuestiti, quibus nulla quidem pecuniae feudalnis summa per litteras reuersales constituta est, sed ad quos feendum iure simultanee

tanee inuestituræ est delatum, partes suas' alæri ex si-
multaneæ inuestitis, qui cum iis in feudo successit, ven-
dunt, et super residua parte pretii pro feudo vendito,
non quidem sibi hypothecam expressam in feudo cum
consensu domini directi constitui curant, sed sibi quoad
istam residuam pretii partem communem manum refer-
vant, utrique longe pinguiori iure gaudent, illo, quod
expressa sibi in feudo cum consensu dominii directi con-
stituta hypotheca naeti, fuissent. Etenim cum commu-
nis Saxonum manus eius sit ratio et natura, ut dominus
directus simul inuestito condominium utile in feudo tri-
buat, quemadmodum egregie demonstrauit *Illiſtr. Baue-
rus in Disput. de Forma ac Definitiōne communis Saxonum
manus*, quis non videt eum non indigere iure hypothec-
cae realis, cum illud condominium, quod dominus di-
rectus per inuestitaram ipsi contulit, efficiat, ut non
opus habeat actione reali hypothecaria, sed ut feudum
vel feudi partem possit vindicare, et feudo alienato eius
pretium, quod in locum feudi successit, quoad per lit-
teras reuersales ad eum pertinet, vel residuum est, ex
causa dominii petere. Iam si secundum exempla su-
pra commemorata feudum in quo simultaneæ inuestiti,
vel quoad pecuniae in litteris reuersalibus constitutam
summam vel propter residuam pretii partem, simulta-
neam inuestitaram a domino directo acceperunt, vendi-
turi, et mortuo emtore eiusque descendantibus masculis
ad eos simultaneæ inuestitos deuoluitur, qui vel ultimo
defuncto possessori sunt proximiiores, vel ab emtore in
simultaneam inuestitram sunt recepti, saluum ipsis ma-
nabit condominium feudi, donec vel pecuniae summam
constitutam iher Lehrs. Quantum vel residuum pretii
partem acceperint, feudum ipsum vindicare et illo alie-
nato

nato, eius surrogatum, pretium ex causa domini petere poterunt.

VII. Insignem hic difficultatem mouere videtur. *Ordin.*

Proc. Saxon. ad Tit. XLV. §. 6. vbi diserte cauetur, neque filiabus ob dotem, neque simultanee inuestitis propter pecuniae feudalis summam, neque ob alia onera feudalia ius hypothecae in feudo competere, nisi illa autoritate atque consensu domini directi sint confirmata.

Quid claruis inde videri potest, quam autoritatem et consensum domini directi requiri ad ius reale in feudo, quoad summam pecuniae in litteris reuersalibus simultanee inuestito concessam, consequendam? At cum Summi Legislatoris non ea mens et voluntas esse potuerit, vt natura et vis simultaneae inuestiturae penitus toleretur, videtur ista dispositio *Ordin. Proc. Recogn.* tantum de ea causa esse intelligenda, vbi propter talis pecuniae feudalis summam wegen eines Lehn*s*. Quanti neque simultanea inuestitura reseruata, neque expressa hypotheca in feudo fuerit constituta.

Illustr. quidem *Bauerus in Diff. de Forma ac Definitione communis Saxonum manus §. LXXII.* hoc legis caput non ad eam causam pertinere contendit, vbi summa pecuniae feudalis in litteris reuersalibus est constituta et simultanee inuestitus a domino directo, quoad istam pecuniae feudalis summam simultaneam inuestituram accepit, sed ibi tantum eam causam agi, vbi quis partem feudi cum coherede olim communis ipsi vendiderit pretio, vel integro, vel pro parte sub iure hypothecae credito emtori vallo, nec non communi reseruata manu, et propter illud

illud pretium, quod etiam eis Lehn. Quantum vocari possit et soleat, quia sit vice portionis hereditariae, simul inuestitum non gaudere iure hypothecae realis, nisi sibi in ea cum consensu domini directi constituenda satis prospererit. Quanquam vero temerarium videri potest, tantae autoritati repugnare, tamen nescio, quid mihi in ista opinione, quoties in eam inciderim, difficultatis superesse visum fuerit. Etenim si, quam sententiam Vir Illustris tam egregie confirmauit, simultanea inuestitura condominium in feudo vtile tribuit, feudumque cum coherede olim commune ipsi ea lege venditur, ut vel integrum pretium, vel pars eius emtori credatur, venditor vero, ut de eo securus sit, sibi quoad residuam pretii partem communem manum reseruavit, dominusque directus ei secundum hanc legem contractus emtio- nis venditionis contulit, wenn er denselben die Mit- lehnshaft an dem an seine Miterben verkaufsten Gut und Pertinentien auf die rückständigen Kaufgelder und auf den mit diesen darüber getroffenen Vergleich bekennt, qualis simultanea inuestituae exempla non inusitata esse constat, quaenam potest esse differentia inter eum, cui per litteras reuersales certa pecuniae summa in feudo constituta est, feudo alienato sibi salua manente, et qui sibi, donec eam acceperit, communem in beneficio manum reseruavit, per eamque ius quaeſitum feudum vindicandi, eiusque pretium vendito feudo iure domini petendi accepit, et inter eum, qui partem feudi coheredi vendidit, huic vel integrum pretium vel partem pretii credidit, et, donec illi ista residua pretii pars vel totum pretium solutum fuerit, simultaneam inuestituram in feudo, quoad istud residuum pretii retinuit? Inter utrosque eadem ratio obtinet. Vtrique condo- minium

minium utile in feudo habent. Vtrique pars feudi debetur. Et id, quod priori exemplo simultanea inuestitio iam per litteras reuersales certa pecuniae summa constituta et quoad illam simultanea inuestitura in feudo collata est, quae, feudo alienato, in locum feudi succedit, in altera causa vero, coheres ipse feudi partem sibi propriam vendit, et pretium istius partis, cuius condominium utile iam ante habebat, apud emtorem residuum manet, vendor vero, donec illud accepit, communem manum in feudo retinet, et a domino directo simul inuestitur, non id efficere potest, ut huius conditio deterior sit, quam prioris, nisi forte simultanea investiturae natura interdum mutetur, ita ut mox condominium in feudo tribuat, mox non tribuat. Videtur itaque locus Ordin. Proc. Recognit. supra commemoratus sic intelligendus esse, ut simultanea inuestitis tum demum nullum ius hypothecae in feudo competat, quando super pecuniae feudalnis summa sive super residuo feudi pretio neque simultaneam inuestituram neque ius hypothecae in feudo cum consensu domini directi consecuti fuerint. Tum vero, cum hoc sibi satis prospexerint, partem istam feudi iure condominii retinent, et feudo alienato pretium in locum feudi succedit, summaque simul inuestito reseruata affluit naturam feudi simultanea inuestiturae subiecti. Atque haec sententia per ipsam Ordin. Proc. Sax. Recogn. ad Tit. XLII. §. 7. confirmari posse, videtur. Ibi enim, propter residuum pretium, quo feudum vel alia res immobilis emta est, tum demum ius prioritatis vendori concessum est, cum sibi aut dominium reseruauit, aut ipsi fundus venditus nexus hypothecae cum consensu domini directi subiectus fuit. Iam itaque simultanea inuestitus,

rus, qui communem manum in feudo vendito, vel quoad summam pecuniam feudalis, vel quoad residuum pretium sibi reseruauit, cum consensu domini directi condominium vtile retinuit, nonne per illud iura quoque, quae dominium sequuntur et ius prioritatis prae reliquis Creditoribus habere censendus est? Et quid denique utilitatis redundaret ad simultanee inuestitos ex rententa et accepta simultanee inuestitura, nisi per eam omnia iura consequerentur, quae alias cum simultanee inuestitura sunt coniuncta? Manet itaque hoc quod supra posuimus, teneri simultanee inuestitos, ad quos feudum in quo vel propter summam pecuniae feudalis, vel propter residuum feudi pretium simultanea inuestitura reseruata est, deuoluitur, ad debitum istud soluendum nisi, iis, quibus summa pecuniae feudalis, vel residuum feudi pretium debetur, iuribus, quae ipsis ex iure condonii competunt, vti velint.

VIII.

Sed quaenam erit actio, qua illi ad consequendum id, quod sibi vel ratione summae pecuniae feudalis|vel ratione residui pretii debetur petere poterunt? Cum domino cuique ius sit rem suam a quocunque possessore vindicandi, simultanee inuestiti vero, quoad istam pecuniae feudalis summam et residuum feudi pretium condominium in feudo vtile habeant, et feudo alienato in eius locum feudi pretium succedat, quid est cur simultanee inuestitis Rei Vindicatio denegari possit, hoc effectu, ut possessor feudi vel partem eius, de qua simultanee inuestitus inuestituram, quoad pecuniae feudalis summam, vel quoad residuum feudi pretium accepit, tradat, nisi forte

forte pecuniae feudalis summam, aut residuum feudi premium soluere velit. Neque villa ratio subesse videtur, cur non istam actionem rei vindicatoriam omnes effectus sequi debeat, quae alias cum ea coniunctae esse solent, ita, ut simultanee inuestitus non solum possessionem, partis istius feudi, in quo communem manum habet, donec vel pecuniae feudalies summam, vel residuum feudi premium acceperit, consequatur, sed etiam ut feudum ipsum saluis iuribus domini directi et reliquorum agnitorum et simultanee inuestitorum, distrahi possit. Et quaenam alia cauſa esse videtur, cur exorto concursu creditorum, in sententia, quae constituit ordinem, quo quisque creditor, id quod petit, consequi debeat, neque summa pecuniae feudalies, neque residuum tale feudi premium, super quo simultanee inuestito communis manus in feudo tributa est, in classe quadam ponatur, sed extra concursum iure rei vindicationis collocetur, diuerso modo, secundum diuersam paetorum naturam. Si enim hoc paetum fuerit, ut vel summa pecuniae feudalies vel residuum feudi premium non statim post feudi alienationem, sed demum post vasalli et eius heredum obitum simul inuestito debeat, iudex eam vel in feudum de nouo comparandum, in quo simultanee inuestito communis querenda manus, impedit, vel sub usuris credit, ad hoc, ut fructus vel usurae creditores lucentur, quousque vasallus eiusque heredes viuant, iis vero defientibus summa ipsa simul inuestito vel eius heredi feudali soluatur, vel feudum pro ea comparatum cum fructibus tradatur. Eadem ratione sententia dici et solet et debet, exorto concursu creditorum de residuo feudi pretio, quando vel simultanee inuestitus, quoad illud, communem manum in feudo

do retinuit, hac lege, vt aut venditor illud iure vindicationis ex massa concursus accipiat, aut tum demum illi vel eius heredibus soluatur, si, vi contractus, pro illo aliud feendum comparare, atque emtori simultaneam inuestituram conferre paratus sit.

IX.

Cum, vti paragraphis antecedentibus demonstravimus, simultanea inuestitio ex reseruata simultanea inuestitura ius competat vel feendum, vel summam pecuniae feudalis vel residuum feudi pretium vindicandi, qua ratione compellendi erunt agnati secundum ius commune feendum iure successionis consecuti, cuius pretium vel totum vel pro parte non est solutum et secundum ius Saxonum simultanea inuestiti in feudo iure proprio succedentes, quando ii simul inuestiti, quibus summa pecuniae feudalis vel residuum feudi pretium debetur, sibi neque expressam hypothecam cum consensu domini directi constitui curauerint, neque quoad debitam summam communem manum referuauerint. Sane non poterit vrumque eo iure peti, quo simultanea inuestiti, qui super vtroque communem manum in feudo retinebant, agere poterant. Sed tamen et iis agnatis et simultanea inuestitis, ad quos feendum in quo vel pretii pars vel pecuniae feudalis summa residua est, deuoluitur, necessitas incumbit, istud debitum soluendi. Huius obligationis vinculum praecipue in aequitate et in illo pracepto, quod leges, tum iuris ciuilis, tum naturalis, sustinent, ponendum esse facile conceditur, neminem cum alterius damno fieri debere locupletiorem et quemlibet praesumi consentire in id, quod sibi utilitatem affert.

D

fert.

fert. Si enim secundum exempla supra commemorata Eustachius quinque istas feudi partes a patrui filiis non emisset, non potuissent ad fratrī sui filium deuolui, sed illi tam diu expectandum fuisset, donec illis et descendētibus illorum masculis extinguitis, iure successionis feudum ad eos fuisset delatum, quod fortasse post centum annorum spatium demum contigisset. Multo magis vero id dicendum est, de agnatis et simultanei investitisiis, qui in feudo nouo succedunt, ad quos plane nulla successio in feudo peruenisset, nisi primus acquirens feudum comparasset. Nonne itaque summae eorum utilitati consulitur, si feudum ad eos defertur, ad quod consequendum, ne minima quidem spe teneri poterant? Et nonne cum summo detimento eorum agnatorum et simultaneae investitorum, qui vel feudum vendiderant, vel quibus proxima in feudo successio speranda erat, vel quibus certa pecuniae summa promissa fuerat, locupletiores fierent? Quanta iniquitatis macula agnati et simultanei investiti premerentur, qui, relicto heredibus allodialibus onere solvendi residuum pretium, quo feudum emtum est, vel pecuniae feudalī summati litteris reversilibus constitutam, solo commodo successionis in feudo gaudere vellent.

X.

In Saxonia quidem Diuus Augustus Elector Saxonie hanc sententiam diserta lege per *Constit. XLVI. P. II.* confirmasse videtur, cum ibi cauit, ut, si quis ad coendum feudum pecuniam mutuo acceperit, eamque omnem ad soluendum eius pretium impenderit, nec ramen vel totam vel pro parte creditori reddiderit, eo defuncto

XXVII

defuncto eius soluenda onus iis, ad quos feudum successionis iure peruererit, incumbere. Contendunt quidem hanc constitutionem non de residuo feudi pretio, sed de hac quaestione agere, vtrum successor in feudo singularis, si ad feudum comparandum antecessor vel proximus vel remotor aes alienum contraxerit, illudque ad solvendum feudi pretium impenderit debitumque illud creditori nondum fuerit redditum, teneatur ad istud alienum aes solvendum. Faciunt inde insignem differentiam inter debitum ad emendum feudum vel ad extinguendum nomen et delendam hypothecam legitimam feudalem contraatum, et inter residuum feudi pretium, quod vendorum emtori sub lege usurarum creditit, emtorque in se suscepit, nec dum viuit, solutum ab eo fuit. Dicunt illius solutionem successorem singularem in feudo praestare debere non vero huius, propterea, quod derogatio iuris feudalnis communis per novam legem singularem facta, ad casus similes non possit extendi, verbis potius nouae legis stricte esse inhaerendum, eamque ultra et contra legem expressum in praeiudicium iuris neutiquam esse trahendam. Sed videant, qui hoc contendunt, ne nimium recedant a iustis interpretandi regulis, ab aequitate et ab analogia Iuris feudalnis. Supra iam commemoratum iuri feudalni communi tantum ea debita cognita esse, quae expressa hypotheca cum consensu domini directi, agnatorum et simultanei inueitorum in feudo sunt constituta, exceptis meliorationibus quorum II. F. 8. Si vasallus, et II. F. 28. E contrario etc. mentio fit, et alimentis inhabili praefandis per I. F. 6. Reliqua debitorum feudalium genera, quae vel ob versionem in rem vel ob fauorem causae debentur successu temporis tantum ex aequitate introducta et successoribus feudalibus

XXVIII

dalibus necessitatem ea soluendi impositam fuisse. Si itaque aequitas, et lex ea, quam supra posuimus, neminem cum alterius damno fieri debere locupletiorem, et quemlibet praesumti consentire in id, quod sibi utilitatem afferat, facit, ut certa debita ex feudo sint soluenda, et si super iis cum consensu dominii directi, agnatorum et simultaneae inuestitorum non sit constituta hypotheca, quid est, cur illud non ad omnes eas species, ubi aequitas subest, debeat extendi? Quamuis itaque *Constitutio Electoralis*, P. II. 40. tantum de ea causa loquitur, ubi quis ad emendum feudum nomen contraxit, tamen ea lex interpretandi hic valere debet, vt, vbi eadem sit legis ratio, ibi eadem legis dispositio locum habere debeat. Si enim secundum leges Iuris feudalnis communis impensa quibus feudum melius factum est, et secundum aequitatem debita, quae ad feudum emendum sunt contracta, ex feudo a successoribus feudalibus solvi debent, cur non in residuo feudi pretio idem valere debeat, cum eadem ratio subsit? Et nonne venditor, qui emtori feudi premium vel totum vel pro parte credit, summam residui pretii ab emtore accepisse, eamque illi denuo mutuo dedisse fingi potest? Neque mens fuit Serenissimi legislatoris in ista lege ferenda, vt ea saltet in causis in ea expressis locum habere debeat. Volut constituere quatenus agnati et simultaneae inuestiti ad aes alienum ex feudo soluendum teneantur. Ponit itaque primum ea debita, quae consensu eorum sunt contracta, et pro quibus feendum legitime est oppignoratum: Porro pecuniam elocandis filiabus aut sororibus vel oneri dotalitio dissoluendo mutuo sumtam: Denique vero, ne omnes species recensere necessare habeat, generatim omnia debita, quae in utilitatem feudi versa sunt, in numerum collocat debito-

bitorum feudalium ex feudo solvendorum, statuitque in his et similibus causis aes alienum illud a successori- bus feudi non vero ab heredibus allodialibus esse sol- vendum. Qua ratione itaque hanc legem singularem ad alias causas similes non esse extetendam, sed ver- bis nouae legis stricte esse inhaerendum putemus, cum ne quidem Serenissimus legislator hanc suae legis vim atque mentem esse voluerit? Ipsa illa lex grauissimum argumentum, residuum feudi pretium ex feudo esse sol- vendum, praebet. Si enim illa cauetur, ut omne illud aes alienum, quod in utilitatem feudi versum est, ex feudo a successore singulari solui debeat, residuum vero feudi pretium, ut supra ostendimus, debitum est, quod utilitati agnatorum et simultanei inuestitorum consulit, quis negauerit, iure illis imponi necessitatem illud ex feudo soluendi? Num itaque aliqua dubitatio superesse potest, residuum feudi pretium et summam pecu- niae feudalis, etsi de vtroque nulla constituta sit ex- pressa hypotheca in feudo nec simultanea inuestitura referuata, ad ea debita pertinere, quae ex feudo sunt soluenda?

XI.

Multa autem magis hoc valere debet cum agnati et simultanei inuestiti non quidem communem sibi re- feruarunt manum, sed tamen id pacti sunt, ut in pecu- niae feudalis summa et residuo feudi pretio vel suc- cedatur secundum ordinem succedendi iuris feudalis, vel ut exinde nouum comparetur feudum, in quo ven- ditores vel simul inuestiti in communem manum reci- piantur, quod genus pactorum visitatissimum esse con-

stat. Non quidem ista pecuniae summa vel residuum feudi pretium est feudum, deficit enim id, quod feudum constituit, inuestitura et nexus feudalis inter dominum et vasallum, sed tamen quodammodo naturam feudi ratione condominii et successionis feudaloris, dum feudi locum occupat et eius sit surrogatum, retinet; Idque eo magis fieri potest, cum etiam in allodio successio feudaloris per pacta constitui, illudque naturam feudi consequi possit, vt contra naturae feudi non repugnat, quo minus in eo successio, alias in allodio visitata, per pacta domini et vasalli locum habeat. Atque inde efficitur quoque id, vt agnati et simultanei inuestiti, et si soluant istud residuum precii aut pecuniae feudaloris summam, nihil detrimenti capiant, cum heredes allodiales nullum ius in vitroque habeant, neque exinde debita allodialia venditoris, vel eorum quibus pecuniae feudaloris debetur, solvi possint. Quicquid enim iuris agnati et simultanei inuestiti in feudo habuerunt, illud quoque retinent in pecuniae feudaloris summa et pretio ex feudo redacto, vtrumque manet debitum feudale, quod ex feudo est soluendum, et quod agnati vel simultanei inuestiti feudo ad illos devoluto, non lucrari possunt. Confirmatur ista sententia per ipsam Ordin. Proc. Saxon. Recogn. cum ad Tir. XLV. caturum sit, vt de feudi pretio ex subhaftatione redacto tantum debita feudalia solvi, residuum vero vel in feodium offerri, vel aliud feodium inde comparari debeat in quo simultanei inuestiti communem manum denuo accipiant. Quid enim aliud inde sequitur, quam pretium, quo feodium venditur, non fieri allodiale, sed retinere naturam feudi, agnatisque et simultaneis inuestitis ius, quod in feudo ipso habuerunt, in pretio post eius

ei⁹ venditionem vel subhaftationem saluum manere. Cum itaque antea ius in feudo reale habuerint, illud quoque in pretio inde redacto, retineant necesse est. Quodsi vero inter agnatos et simultaneos inuestitos id pacatum fuerit, ut residuum feudi pretium plane omni natura feudi priuetur, illud quoque heredes allodiales a feudi emtore vel eius successoribus feudalibus petere poterunt, cum in utrisque eadem ratio subsit, scilicet feudi successores singulares illud lucrari non posse, nisi cum alterius damno velint fieri locupletiores.

XII.

Quaenam vero erit actio, qua residuum feudi premium super quo neque expressa hypotheca constituta neque simultanea inuestitura referuata est, a successoribus feudalibus peti potest. Cum supra demonstrauimus necessitatem, qua successores feudales ad illud solvendum tenentur, tum ex aequitate, tum secundum ius Saxonum ex ipsa constitutione Dini Augstii, et ex iure, quod agnati et simultaneos inuestiti in feudi pretio post eius alienationem retinent, oriri, generaliter dicunt Doctores locum habere actionem negotiorum gestorum sive conditionem ex lege, nomine illo generali, quo omnes actiones personales ex aequitate oriundas comprehendere solent. At vero cum ista actio, qua residuum feudi premium petitur, non semper contra eos tendat, cum quibus agnatis et simultaneis inuestitis negotium intercessit, sed etiam aduersus tertios possessores, hoc vero actionum personalium naturae repugnet: eas actiones ius annumerant, quas Doctores Iuris Civilis sibi excogitarunt, in rem scriptis, quae etsi sunt

XXXII

sint personales, tamen contra quemcunque posse-
rem dantur. Non quidem nobis id arrogamus, vt
sententiam hanc parum probabili arguento niti eam-
que vnu fori non sustineri dicamus, tamen non ne-
gabimus, nobis placere sententiam *Stryckii*, in
disp. de hypotheca tacita in feudis Germaniae ab actione
reali non esse recedendum putantis. Primum enim do-
ctores hanc constituant regulam, tum demum ex iure
ciuili rationem decidendae causae feudal isse petendam,
cum non modo diserta lex deficiat, sed etiam aliae leges
iuris feudal is per legitimam interpretationem ad istam
causam decidendam trahi nequeant. Quamuis itaque se-
cundum ius feudale commune nulla diserta lex adsit,
quaes iubeat successorem feudalem soluere; debere resi-
duum feudi pretium, tamen aliae leges feudales ad
istam causam commode applicari poterunt. Si enim per
II. F. 28. eae impensa, quibus Vasallus feudum melius
reddidit, repeti possunt a domino directo, cur non ista lex
per legitimam interpretationem ad eas causas extendatur,
ubi non modo eadem, sed multo maior aquita-
tis ratio subest, et cur non ex ea legis dispositione, quae
permittit repetere ea, quae in feudi utilitatem versa et
impensa sunt, necessitas derivetur, successorem singula-
rem obligans ad residuum feudi pretium vel pecuniae feu-
summam in feudo residuum soluendam? Cur itaque
ad Ius Ciuale configiamus, et numerum exiguum
actionum in rem scriptarum augeamus easque iu-
ri feudali Longobardico et Germanico immisceamus,
quibus eae planae ignotae fuerunt. Deinde vero haec
ipsa actio magis habere videtur naturam actionum realium
quam personalium inter quas vulgo actiones in rem scri-
ptas numerant. Etenim in hac actione plane non respici-
tur



tur ad obligationem personalem, sed ad rem ipsam, ad feudum, ex quo debitum solui debet. Debitum feudo ipsi inhaeret illudque afficit, atque propterea datur adversus quemcunque possessorem, et si actori cum eo plane nullum negotium, ex quo in eius personam agere possit, intercesserit. Quocunque vero nomine ita actio veniat, sufficit illam omnes effectus secum ferre, qui alias cum actionibus realibus coniuncti esse solent. Quare primum hac actione residuum feudi pretium peti poterit, ita, ut vel illud solvatur vel feudum tam diu tradatur, donec actori fuerit solutum. Id conuenire videtur actionibus in rem scriptis, si hanc, quo residuum feudi pretium vel residua pecuniae feudalis summa petitur in earum numerum referre velis. Sic enim actio Pauliana, ad id ipsum tendit ad quod rei vindicatio, nempe ad rem cum omni causa restituendam. Idem obtinet in actione quod metus causa, et fere in omnibus actionibus, quae a doctoribus interactiones in rem scriptas referuntur. Ipsum Ius feudale exemplum egregium praebet actionis tali modo instituendae. Dominus enim II. Feud. 28. ad quem feudum mortuo Vasallo deuoluitur, tenetur eas impensas restituere, quibus feudum melius factum fuit, iubeturque aut pati aedificium auferri aut pretium meliorationis solvere. Si vero ab auctore tantummodo ad pretium residuum soluendum actio est directa post latam sententiam executio non tantum in fructus feudi sed in ipsum feudum decerni debeat. Primo enim si tantum in fructus feudi executio fieret, quara ratione dici possit, residuum feudi pretium et residuam pecuniae feudalis summam debitum esse quod ipsum feudum afficiat, et ex feudo sit soluendum. Fructus ex quibus ista solutio peti deberet, iure allodialum censentur et ne quidem impensae, quae ad fructus percipliendos necessariae sunt, inter ea debita numerantur,

E

tur,

tur, quae successores feudales solvere debent. Deinde agnati et simultanei inuestiti, quibus residua pecuniae feudalium summa vel residuum feudi pretium debetur, nonne eiusdem conditionis forent cum reliquis creditoribus chirographariis, si tantum ex fructibus feudi debitum petere possent? Fac enim hos cum illis in nominibus suis exigendis concurrere eosque cum illis executionem in fructus feudi impetrare, quodnam beneficium ad eos redundabit, quod eorum debitum inter debita feudalia numeratur? Non alia conditione vterentur, quam qua reliqui creditores chirographarii, et fructus feudi tam diu inter utrosque diuidi deberent, donec utriusque id, quod iis debetur, consecuti fuerint. Et cum saepenumero summa pecuniae feudalium vel residua feudi pretii, non exigua esse soleat, quantum temporis spatium postularetur, si ea tantum ex fructibus feudi quaeri posset, quorum prouentus saepe non sufficiunt ad usuras debitorum hypotheca expressa munitorum et eorum, quae tantum ius personale habent? Quam male actum foret cum agnatis et simultanei inuestitis, si debita eorum feudalia tantis difficultatibus essent obnoxia! Neque credimus eius rationem apud nos aliam esse. Per Ord. Proc. Recogn. quidem ad Tit. XLV. §. 6. neque filiabus propter dotem neque simultanei inuestitis propter summam pecuniae feudalium ius reale, aut ius hypothecae in feudo competit, nisi iis expressa constituta est hypotheca, et secundum §. 1. ad Tit. XL. ea solum debita, quae confessu domini directi expressa hypotheca in feudo munita sunt, non tantum ex fructibus feudi, sed etiam ex feudo ipso peti possunt, num autem credibile est his locis sublatam esse constitutionem Diui Augusti P. II. 46? Etsi enim per ultimum locum debita, autoritate et confessu

sensu domini directi confirmata ex feudo, debita allodia
lia vero ex fructibus feudi soluenda sint, tamen reliqua
debita feudalia, non excluduntur, et, dum ibi vnius
debiti feudalis mentio sit, cuius ratione executio in
ipsum feudum decerni potest, cur non etiam ob alia de-
bita feudalia, quorum mentio ibi non sit, executionem
in ipsum feudum decerni posse putemus, et cur ius com-
mune et lex Serenissimi Electoris, quae iubent debita
feudalia in utilitatem feudi conuersa ex ipso feudo sol-
vere, sublata esse videantur? Non quidem pari iure gau-
dent quo ea debita, quae auctoritate domini directi in
feudo sunt constituta, sed tamen non aequiparanda sunt
debitis chirographariis et allodialibus, quae ex foliis fru-
ctibus feudi debentur, sed post illa et ante haec collocan-
de sunt, cum inter vtraque fluctuant, nisi forte totam
istam sententiam eiusmodi debita ex feudo esse soluenda,
atque adeo ipsam constitutionem Diui Augusti euertere
velimus. Ipsa quoque haec constitutio sententiam no-
stram confirmat, cum diserte iubet, talia debita *ex feudo*
solui debere. Quod ex feudo solvitur, afficit ipsam,
vt loquuntur, essentiam feudi, et diuersum est a fructi-
bus feudi. Idque ex fine huius constitutionis adhuc
clarius fit, cum ibi negatur exceptis his et similibus ca-
sibus agnatis et simultaneis inuestitos aes alienum *ex*
feudo vel ex eius fructibus, vt dissoluant, teneri. Aliud
itaque est ex feudo solui, aliud ex fructibus eius. His
positis patet etiam id, quod vsu fori teruatur, in con-
cursu creditorum creditores, debitum feudale petentes,
tum cum omnes creditores hypothecarii, id quod iis de-
betur, acceperunt, sed ante creditores chirographarius
et allodiales collocari. Inter hos enim et illos haec in-
tercedit differentia, quod illi, id quod sibi debetur, tan-
E 2 tum

XXXVI

tum ex allodio et fructibus feudi, hi vero debita feudalia ex ipso feudo petunt, iureque gaudent, quod ipsum feudum afficit, et iis p[ro]ae reliquis creditoribus chirographariis et allodialibus praerogatiuum tribuit.

XIII.

Quodsi agnati et simultanea inuestiti, quamquam nec quoad pecuniae feudal[is] summam vel residuum feudi premium communis manus in feudo reseruata sit, nec hoc pacti fuerint, vt secundum leges feudales succedentur, ad soluendum residuum feudi premium sunt obstriciti, multo magis hac necessitate tenentur simultanee inuestiti ii, qui vi simultanea inuestiturae in feudo, succedunt, quod vasallus, antequam de eo simul inuestirentur, sibi comparauit neque totum eius premium soluit, et post demum eos in simultaneam inuestituram recepit. Et enim notum est vasallum post feudi acquisitionem simultanea inuestiendos domino directo offerre posse, atque in Saxon. per Recessum prouinciale d. d. XVII. Mart. cIcIaCC. Vasalli feudum nouum acquirentibus ad hoc faciendum Sexennium esse indultum. Hi simultanee inuestiti non alia lege ius aliquando in feudo succedendi sibi acquirere possunt, quam pro natura istius feudi de quo simul inuestiri debent, adeo, vt ea omnia rata habere teneantur, ad quae primus acquirens et is a quo in simultaneam inuestituram recepti sunt, se obstrinxit, cuius obligationem tacite in se suscepisse censendi sunt. Neque iis eo iniuria fit, cum simultanea inuestitura iis non inuitis collata fuit, et feudi, natura ipsis non incognita esse debuit et potuit. Nonne itaque obligationem residuum feudi premium soluendi in se recepisse dicendi sunt? Quid vero? si simultanei inuestiendi, antequam

com-



communem manum consecuti et a domino directo actu
inuestiti fuerunt, se per pacta cum vasallo imita et per
litteras reuersales obstrinxerunt, ad omnia ea praestan-
da et implenda, ad quae is, cuius beneficio commu-
nem manum debebant, tenebatur, num tum aliquid du-
bitationis supereesse potest, illos etiam residuum feudi
pretium vasalli, a quo in simultaneam inuestituram re-
cepti fuerunt, soluere debere?

XIV.

Constituimus itaque residuum feudi pretium ex feu-
do esse soluendum. Estne vero ista regula tam vniuersa-
liter accipienda, vt plane nulla causa locum habere possit
vbi illud ab agnatis et simultanei inuestitis peti nequeat?
Hanc quoque quaestione fieri posse credimus. Fac enim
Vasallum feudum emissे eiusque pretium totum non sol-
visse, atque venditorem neque in eo communem manum
fibi reservasse, neque aliud pactum intercessisse. Emtor
feudi cum consensu domini directi illud denuo vendit, no-
vusque emtor, nesciens residuum pretii istius feudi ad-
huc deberi, bona fide totum eius pretium soluit. Iam
hic decedit, et successio ad agnatos et simultanei inue-
stitos deuoluitur, num primus venditor, cui residuum
feudi pretium adhuc debetur, illud a successoribus feuda-
libus petere poterit? Sane hic ea ratio cessat, propter
quam supra diximus successores feudales teneri ad resi-
puum feudi pretium soluendum. Non fiunt exinde lo-
cupletiores, nihil utilitatis ad eos redundat, et benefi-
cium simultanei inuestiturae acceperunt ab eo, qui nihil
debebat, quo itaque fundamento residuum feudi pre-
tium ab iis postulari potest, et nonne primo venditori

E 3

tantum

tantum actio aduersus heredes allodiales primi emtoris supererit, ad debitum illud consequendum? Quamquam non negamus istam quaestione non facile nasci posse, cum vix dominus directus contractum nouum emtionis venditionis autoritate sua firmam reddet, vbi proxime antecedentis pretium nondum solutum est, et si de eo non expressa hypotheca constituta fuerit.

XV.

Si vero agnati atque simultaneae inuestiti fere semper residuum feudi pretium feudo ad ipsos delato soluere coguntur, quatenus heres allodialis, si eiusmodi debitum, a vasallo defuncto solutum fuerit id a successore in feudo repetrere potest? Sunt, qui affirment iure heredes allodiales id facere posse. Vasallum enim, dum ea debita, quae feudo inhaereant, soluerit et ab iis feudum liberaverit, negotia successoris sui utiliter gessisse, qui si id non fecisset, ista ipse soluere debuisset. Quare aequitatem hanc opinionem tueri dicunt, fraudemque fieri si contrarium obtineat, menti Vasalli, neque ullo modo probabile esse, eum tali debito, quod praecipue ex feudo erat solvendum, in detrimentum heredum allodialium feudum liberare voluisse, commemoratque *Hornius in Decade Obsrv. Fend. Cap. IX.* auctoritates, ubi in hanc sententiam ius dictum fuit. Sed his grauissima obstant argumenta. Quamquam enim videri potest solutionem debiti feudalis, a vasallo factam solummodo utilitati reliquorum successorum infeudo, mortuo eo et eius descenditibus masculis consulere, tamen solvit id, quod ipse debet ideoque proprium potius quam alienum gessit negotium. Deinde si, ut supra demonstrauimus, talia debita, quia feudum ipsum afficiunt, ex feundo solvi debent, creditorque immitti et, vt illud distrahat, peti potest

fuc-

successores feudales necessitate tenentur debitum illud soluendi, si venditionem necessariam feudi impedire vetat. Quod si vero, per publicam feudi venditionem supercedere potest onere debitum feudale soluendi, voluntarie suscepisse eius solutionem censendus est, cum id soluit, cuius causa venditio publica feudi necessaria fiebat, heredesque eius allodiales rata habere coguntur ea, quae ex libera voluntate gessit. Et si quilibet successor feudalis adigi posset ad restituenda ea debita heredibus allodialibus, quae vasallus, a quo feudum accepit, solverit, quot et quantae lites inde oriuntur? Si enim primus eiusmodi debitum solutum heredibus allodialibus restituere debet, huius heredes illud quoque petere poterunt a secundo, et huius heredes a tertio et sic in infinitum, donec omnes agnati, qui a primo acquirente ius in feudo habent, et omnes simultanei inuestiti fuerint extinti. Potius itaque eorum sententiae est subscriendum, qui heredes allodiales debita feudalia et inde etiam residuum feudi premium a vasallo solutum a successoribus feudalibus non repetere posse contendunt. Si vero contingit, ut ipsi heredes allodiales post mortem vasalli tale debitum feudale soluerint, hos non suum sed successorum in feudo negotium utiliter gessisse videntur, non sium aes alienum sed debitum feudo inherens, et tum secundum ius strictum tum secundum aequitatem illud a successoribus feudalibus repetrere poterunt. In Saxoniam quidem id co minus dubitationis habet, cum Serenissimus legislator in supra commemorata lege fatis de ea quaestione sanxerit. Exinde etiam, quod talia debita feudalia feendum ipsum afficiunt et ex feudo sunt soluenda, sua sponte sequitur ea statim ex feudo esse soluenda, neque prius hereditatem allodialem esse excutiendam. Hoc enim.

enim si fieri deberet, totum fundamentum corrueret ex quo successoribus feudalibus ista debita ex feudo soluendi necessitas imposita est, quam et ipse Diuus Augustus sua Constitutione in Saxonia approbauit.

XVI.

Maior atque grauior quaestio videtur esse ea, quatenus dominus directus feudo per consolidationem ad eum delato istam pecuniae feudalis summam vel residuum feudi premium soluere tenetur? Eam aequitatis rationem ob quam debita, quae vasallus in utilitatem feudi contraxit et in feudum versa sunt, ad quemlibet successorem singularem in feudo transeant, non aequo conuenire domino, feudo ad ipsum deuoluto, dicunt. Feudum enim aperiri iure dominii directi, nihilque ad id conferre, quod vasallus feendum emerit, idem ius dominum directum habiturum fuisse, si prior vasallus, qui feendum vendidit illud retinuerit. Secus se rem habere in agnatis et simultaneis inuestitis, qui ab ipsa feudi, pretio illo emti, acquisitione succedendi ius naucti fuerint. Neque consequentiam duci posse a pecunia, quae mutuo accepta et in feudi utilitatem versa sit, cum hoc debitum domino directo veram utilitatem afferat. At vero nullam rationem subesse credimus, quae inter dominum directum, qui feendum per consolidationem occupat, et agnatum vel simultaneo inuestitum faciat differentiam, eritque haec quaestio ex iisdem argumentis decidenda, quae faciunt, ut eiusmodi debitum feudale ab agnatis et simultaneis inuestitis peti possit. Primo enim, si simultaneo inuestiti, in feudi alienatione, quoad istam pecuniae summam sibi per literas reuerentes constitutam vel venditores quoad residuum feudi premium communem manum reseruarunt, condominum vtile in feudo retinuerunt, et a domino directo

directo quoad istam pecuniae summam vel residuum pretii partem actu simul inuestiti fuerunt. Hoc condoninium in feudo utile, retinent, etiam si reliqua feudi pars per consolidationem ad dominum directum redierit. Vallus qui feudum emit, iis hoc concessit ut simultaneam inuestituram quoad illam pecuniae feudalis summam et residuum feudi pretium, retineant, et dominus directus hanc concessam simultaneam inuestituram iis actu contulit, nonne adhuc magis tenebitur factum suum ratum habere et soluere summam pecuniae feudalis vel residuum feudi premium, nisi velit simul inuestito partem feudi, quoad simultaneam inuestituram in eo propter pecuniam feudalem vel residuum partem pretii habet, relinquere. Sed quid si simultanee inuestiti communem manum in feudo vendito non referuarunt, qua ratione dominus directus feudum per consolidationem accipiens ad vtrumque vel simultanee inuestitis vel agnatis soluere tenebitur? Eadem ratione putamus, qua agnati et simultanee inuestiti, nempe ex aequitate. Nam quemadmodum hi, qui feudum eodem, quo dominus iure, nempe proprio nec deum beneficio ultimi possessoris capiunt, ad ea soluenda quasi ex contractu ob praesumtam voluntatem et propter aequitatem, tenentur, cur non idem etiam de domino directo valebit? Agnatos et simultanee inuestitos ideo obstrictos esse diximus ad ista debita soluenda, quia successio in feudo non tam cito iis contigisset, nisi feudum hoc modo venditum fuisset, vel simultanee inuestiti et agnati in feudi venditionem consenserint. Finge enim secundum exempla supra proposita Euystachii fratris filium ad quem feudum post obitum Euystachii filiorum peruenit decadere, feudumque iure consolidationis ad dominum directum deuolui, num credibile est id tum

F

facile

0 038

facile contingere potuisse, si patruelis Eustachio partes suas feudi non vendidissent? Necesse erat, ut hi et eorum descendentes masculi prius obirent, et deinde reliqui simultanei inuestiti, si dominus directus per consolidationem feudum acquirere volebat. Nonne dominus directus cum summo detimento agnatorum et simultanei inuestitorum, qui feudi partes quas tenebant, vendiderant, et quorum alienationem ipse consensu suo ratam haberat, locupletior fieret? Neque ista ratio dominum directum iure proprio feudum consolidare, nihilque ad id emtionem istam factam esse conferre, aliquid pondaris habere potest. Nam primo id ipsum falsum est, cum dominus directus, nisi feudum venditum fuisse, illud non tam cito iure consolidationis consequi potuisset. Deinde si hoc aliquid valere debeat, neque agnati et simultanei inuestiti forent obstricti ad debita ista soluenda. Eodem enim iure quo dominus directus nempe proprio in feudo succedunt, et tota vis obligationis ista debita solvendi in eo consistit, ut feudi successionem prius consequantur, quam si ista emtio et venditio facta non fuisset, et cum damno vendorum, vel eorum agnatorum simultaneaque inuestitorum, qui pro feudo bona fide vendito plane nihil acciperent, locupletiores fiant. Nonne eadem de domino directo dici possunt, et nonne ad paria iudicandi, et ad paria iura obligatos esse censendi sunt.



ULB Halle
007 469 896

3




VD18





B.I.G.

Farbkarte #13



1765, 29. 525
VM FEVDI PRETIVM
ITVM FEVDALE

ORDINIS I CTO RVM AVCTORITATE

MMIS IN V TROQ VE IVRE
NORIBVS CONSEQVENDIS

o. XXIII. OCT. d^o 15 CCLXV

CVM ERVDITIS COLLOQVIO
DEFENDET

AVGVSTVS SALZMANN

LIPSIAE
TTERIS LOOPERIIS

R. Arthurius Lunc